

4

ORATIO
NATALITIS QUADRAGESIMIS SEXTIS
FRIDERICI GUILIELMI III.

REGIS BORUSSIARUM

CELEBRANDIS

AUCTORITATE UNIVERSITATIS LITTERARIAE
BEROLINENSIS

A
CAROLO GUILIELMO FERDINANDO SOLGER,

PHILOSOPHIAE DOCTORE AC PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

UNIVERSITATIS H. T. RECTORE

D. III. AUG. CIOIOCCCKV 1845

HABITA.

BEROLINI

FORMIS JO. FRIDERICI UNGERI.

Viri excellentissimi, illustres, celeberrimi,
Auditores omnium ordinum rite colendi,
Commilitones dilecti!

Rediit dies laetissimus, qui principe optimo, justo, strenuo, libertatis
nostrae vindice atque cuiusvis felicitatis recuperatore, non patriam solum,
sed universum terrarum orbem donavit. Quem diem ut publicis laetissi-
misque sollemnibus rursus celebremus, et communis civitatis sensus a no-
bis postulat, et beneficiis, quibus nos obstrinxit innumeris universitatis
hujus litterariae conditor augustus, ultro nos impelli cum gloria profitemur.
Neque annuae orationi deficit materia, quae tantum abest ut laudationibus
nostris unquam confici possit, ut potius vehementer nobis verendum sit,
ne nimis longe orationis vim atque copiam post se relinquat. Etenim si
ejusdem argumenti tractatio, quo saepius repetenda est, eo difficilior vi-
deri solet oratori, praereptis his locis, qui maximam apud auditores gra-
viam ei paratur fuissent, nobis, in optimi regis laudatione occupatis, tanta

in dies crescens rerum affluit copia, tam celeriter beneficia ejus beneficiis cumulantur, ut iis quasi obruamur, neque quid primum, quid deinde, quid postremo loco praedicandum sit, apud nos constituere valeamus. Non igitur egestas sollicitudinem nobis objicit, sed abundantia. Ea vero quem magis premi ac paene confundi putetis, quam me, qui tenuitatis meae, exiguaeque in dicendo exercitationis mihi bene conscius, praeter omnem expectationem meam Vestris, Patres, suffragiis sensuum Vestrorum publicus interpretis, sum constitutus! Dám autem; ut, jussis vestris satisfaciam pro viribus, quum regis optimi virtutes et gloriam, tum res a populo Borussico felicissime hac auspice gestas considero, et orationi quomodo haec omnia scite intexam, diligenter quaero, tanto fulgore animus meus ita obcaecatus est, ut tantum ea, quae tamquam recentissima in omnium oculis posita sunt,prehendere, quaeque in iis maxime animum commovere videntur, contemplationi Vestrae, Auditores, subicere malletm, quam transire leviter et tantummodo perstringere magnitudinis regiae amplissimum argumentum.

Quae veró et quanta res vel sic mihi commemorandae sunt! Abundat enim et hic annus factis paene inauditis, et quicquid eorum tangam, in cogitationem inde summae nostrae felicitatis abripior. Victo atrocissimo hoste, qui insatiabili dominandi cupidine stimulatus, universum genus humanum caede, fame, contumeliis, omni denique miseriae genere per tot annos vexaverat, respirabat cum reliquis Europae civitatibus patria. Antiqua ejus ditto recuperata erat, immo imperii fines in tantum prolati, ut ii, qui trans Albem Rhenum vicini nostri appellari cupierant, foederatorum principum benignitatem in eo admirari deberent, quod Borussorum Bata-vorumque imperium ne antiquis quidem Galliae limitibus terminari passi essent. Ante omnia autem eo efferebantur jure meritoque Borussorum animi, quod in hoc discrimine ipsi constantia et fortitudine ceterisque bel-

his virtutibus inter ceteras nationes non ultimum locum tenuerant. In
 quibus omnibus regis fortissimi constantissimi exemplum his praeluxerat.
 Hanc enim laudem neque sociorum quisquam nobis detrectat, et hostes
 ipsi nobis tribuerunt atque ad ultimum tribuere perrexerunt, sive convi-
 cis in nos ante pugnam utentes acerrimis, sive post cladem malitioso si-
 lentio. Hæc fiducia virium, gloriaeque partae conscientia nos eo adduxit,
 ut domi etiam meliorem illam fortunam, quam militia experti eramus, no-
 bis reddituram non modo speraremus, sed videre jam renasci nobis vide-
 remur. Quid enim certius esse poterat, quam eum, qui in media septem
 annorum calamitate rebus nostris ita consuluerat, ut ceteris Germaniae na-
 tionibus invidiam movere potuerimus, qui tantum bonis artibus publicae-
 que educationi laetus erat, quantum raro felicissimi principes, cum alma
 pace bonorumque vitae omnium affluentia, fidem, libertatem, securitatem
 nobis non modo reddituram, sed omnia hæc sapientibus institutis ita fir-
 maturum esse, ut posteris nostris sine metu tantorum malorum, quanta ipsi
 perpassi eramus, ea tradere, atque eadem virtute defendenda relinquere
 possemus? Tali expectatione ad summam lætitudinem eVecti, repente novo
 terrore concutimur. Hostis enim, in angustum mediterranei maris saxum
 relegatus, e custodia erumpit, cum exigua desperatorum hominum manu
 Galliam petit. Qui simulatque ad infelicem Europaeque fatalem oram ite-
 rum appulit, populus Gallorum universus, tamquam fasciatus a praestigia-
 tore, datae fidei sacramentique immemor, regem suum destituit. O specta-
 culum foedum et luctuosum, cujus exempla in omni historia frustra te quæ-
 rere gaudeas! Ducum potentissimus quisque, quanto enixius opem polli-
 citus erat, fidemque suam jactaverat, eo citius copias, quarum imperium
 ad regem servandum acceperat, antiquo tyranno adducit. Civium animi
 terrore stupent. Juber rex infelicissimus, nemo parat; orat denique ro-
 gatque militem, ut voce saltem testetur ipsius reverentiam, obmutescunt

omnes. Nihil igitur ei restat, quam ut iterum solum vertat, nullius armae manus telis victus, neque populi seditione pulsus, sed quia nemini, simulatque adversarius iste apparuerat, rex esse visus est. Illi interea affluit undique satellitum multitudo, regiam ipse occupat, mensibus duobus elapsis in campo illo. Madio thronum ascendit, ubi octodecim millia civium, circumdati scilicet armatorum triginta millibus, imperatorem liberis votis iterum creatum testantur.

Conversa ita fortuna, spes expectationesque nostras nonne plane nos fefellisse putare poteramus? Nonne terrorem nobis incutere debebat non modo humanarum rerum inconstantia, sed, quod majus et atrocius est, perjurium et perfidia, leges divinas humanasque cunctas spernens? Sed hic discat, quisquis historiae nostrorum temporum documentis nondum satis usus est, quid intersit inter regem legitimum a populo probo dilectum, et tyrannum effrenatae perditaeque multitudinis cupiditatibus suffultum, quid inter mutuam bonorum fidem et flagitiorum communionem! *Blücheri Welingtonique*, summorum et imperatoris virtutibus et antiqua probitate virorum victorias, Lutetiam illam, malorum infinitorum fontem, iterum captam, omnes hodie non modo gaudemus, sed cum divini numinis veneratione admiramur. Sed haec quid copiose praedicem, quum neque meae vires tanto argumento sufficiant, et res ipsae satis clare loquantur! In hoc uno aliqui libentissime moraremur, quod sicut principum, ita et ducum exercituumque concordia, omni aemulatione fortior, rarius etiam exemplum nobis praebet quam hostium perfidia. Impar tali virtuti tyrannus cum tanta sua et suorum ruina, cum tanta Borussorum et Britannorum gloria paucis diebus dejectus est a throno usurpato, ut divina providentia ad nulum alium finem, nisi ad res nostras augendas meliusque stabiliendas eum denuo accivisse videatur. Majore igitur hodie quam unquam fiducia et hilaritate futura prospicimus.

Sed hic audio aliquem, frequentatorum bellorum et diuturnae miseriae taedio captum, ita fere mihi obloquentem: Quid juvat victoria, si optimorum fortissimorumque civium paratur interitu? Quid gloria et fiducia ex victoria redundans, si crudeles immanesque mores, quales bellum fovet, gliscunt, si artium disciplinarumque cultores in castra et proelia rapiuntur, pacis cessant emolumenta, omnis denique humani sensus jactura verenda est? Gravia haec sunt, non nego, belli opprobria; viros, qui pro patria mortem obierunt, quamquam ut heroas veneramus, posterorumque memoriae commendabimus colendos, lugemus tamen, et eorum desiderio dum laborabimus, multa in bello geruntur atrociter et inique, sunt multa, quae sensus humanitatis abhorret. Attamen divino quodam artificio ita comparatum est genus humanum, ut maxima ejus commoda provehi, immo ingenii facultates ad perfectionem aliquam excoli nequeant, nisi summa omnium virium intentione, qua ita animus erigatur, ut propriae salutis universorum gloriam et libertatem, justum, verum, honestum, divini numinis denique religionem anteponat. Hoc divino afflatu impulsus et in proeliorum discrimina ruunt mortales, et in verum indagandum, in artes excolendas, in res publicas constituendas, easque legibus ornandas omnes vires vitamque ipsam impendere non recusant. Inde refellendi sunt ii, qui pacis et quietis emolumenta nimis jactant, qui bonarum artium culturam, morumque comitatem et elegantiam in luxus alicujus loco numerantes, statim humanitati metuant, ubi quietem, vel potius desidiam suam turbari vident. Ab istis decantatum est illud, sine pace bonas artes perire, bellum, immane quoddam monstrum, humano generi dedecori ac flagitio esse; quod saepe longe aliter se habere tum antiquarum tum recentiorum nationum historia diligentius excussa videtur evincere. Nam etsi hoc mittamus, non sane momenti, quod virtutis animique ad coelestia versi non leve documentum est, vitam pro dilecto principe ac patria, pro bono et justo ala-

crifer projicere, artes quoque ac rerum publicarum administrationes non aliis temporibus magis floruerunt, quam iis ipsis, quae bellis justis libertatisque tuendae causa susceptis abundarunt. Hujus rei testimonia, si quaeritis, non pauca occurrunt. Graeciae illa lumina, poëses et historiae quasi patres, Aeschylus, Herodotus, alii, nonne Persicorum bellorum tempora ornaverunt? Subsequens belli Peloponnesiaci aetas nonne Periclis eloquentia, Anaxagorae et Socratis sapientia, poësi Sophoclis et Euripidis, Phidiae, Ictini multorumque aliorum operibus nobilitata? Romanos quoque circa bella Punica Musarum amor occupavit. Atque si recentiorum populorum exempla desideratis, apud Italos triumphum illi celeberrimi, Dantes, Petrarca, Boccaccius, in mediis Guelforum et Gibellinorum floruerunt dissidiis. Hispani Carolo imperatore ac Philippo secundo, qui atrocissima bella gesserunt, regnantibus artium culturae se diligentius applicuerunt. Sed nimius esse in percensendis, quae huc adduci possent, omnibus nolo. Non hoc dico, quod forsitan mihi aliquis sive falsa sive malevola interpretatione utens supponat, res humanas inter caedem et violentiam prosperissime cedere. Neque enim loquor de seditionibus ex depravata morum et reipublicae conditione ortis, neque de vi, qua populi integri domantur et subiguntur, sed de bellis justis, in quibus virtus populorum maxime iceritur. Contra quid pax diuturna efficere possit ac dolosa securitas, et ipsi experti sumus, et aliorum frequentissimis docemur exemplis. Igitur bonis artibus propter hanc saltem causam non tantum, quantum multi putant, nostris temporibus metuendum est, modo ne pro bonis habeantur artes voluptati et luxuriae inservientes. Fortitudo enim virtutes omnes non modo excitare, sed firmare quoque videtur et corroborare.

Si multi sunt, Auditores, quos hac nostra aetate propter continuos turbulentosque motus vivere poeniteat, contra hos satis mihi videor dixisse. In ipsa vero Borussia republica mihi clarissime apparere videtur,

non

non modo non quodvis bellum domesticae felicitati obesse, sed bene susceptum atque gestum hanc etiam provehere. Nam ad alia venio, quorum causa beatum se ipsum quisque praedicare debet, qui sub *Friderico Guilelmo* lucem vidit. Verum est, fortitudinem non virtutem integram, sed ejus demum partem esse, quod et Plato contendit, et firmat Aristoteles. Quorum uterque hoc etiam addit, virtutem ipsam sive universalem, ceterarumque virtutes singulas et complectentem et moderantem, esse justitiam. Libenter hoc Plato demonstrat in quarto de republica. Quum enim tria hominum genera in bona civitate esse fecerit, quaestuarios scilicet, et auxilarios sive bellatores, et custodes, quibus e quatuor, quas antiqui numerabant, virtutibus tribuit temperantiam et fortitudinem et sapientiam, harum virtutum quartam justitiam in eo positam esse docet, ut generum illorum unumquodque suum opus peragat, neque plura tractet, aut alterum commutet in alterum. Quo ordine, diversorumque munerum harmonia contineri salutem civitatis, sicut confusione perniciem, ex hoc facile intelligitur. Haec autem justitia non aliter servari potest, quam bene instituta republicae forma. In qua excogitanda et antiqui et recentiores philosophi multum laborantes, nihil tamen invenerunt non modo praefendum, sed ne aequandum quidem ei rerum gerendarum rationi, qua sub regiae majestatis auspiciis virorum, delectorum concilia, universi populi vice fungentium, de legibus atque oneribus publicis deliberant. Tale institutum ne in mentem quidem venisse antiquis, sane mirandum est, ac nescio an plurima, quae in antiquorum vita summopere laudantur, ab hoc invento, quod recentiores populi jure suo sibi vindicant, facile superentur. Illos vero hoc institutum plane ignorasse non solum civitatum antiquarum historia docet, sed philosophorum etiam commenta. In ipsis enim rebus publicis ordinandis apud eos plerumque de singulorum potestate ac jure agebatur, sive summa rerum penes regem esset, sive optimates regna-

rent, sive impotens multitudo ipsa res suas administraret. Atque omnes earum conversiones hoc spectabant, ut populus optimatibus aut regibus, vel hi populo potestatem eriperent, sibi que ipsis arrogarent. Etsi enim non omnes optimo jure cives erant, non tamen ideo ii, qui erant, ceterorum curam agebant. Et quum singulos dico, multitudinem etiam sive ordinem intelligo, non universorum, sed suam utilitatem affectantem. Dissidentes scilicet non omnium communem salutem quaerebant, sed ne sibi eriperentur civitatis jura contendebant anxie. Unde factum est, ut civitates populares, magistratum ab ipso populo creatorum potentiam invide circumscribentes, in privatorum hominum, eorumque flagitiosissimorum, ruerent maxime pudendam servitutem, in autem populi, qui regio imperio se dederant, mox omnem libertatis sensum ita exuerent, ut boni etiam reges a tyrannis saepe nihil differre cogerentur. E philosophis satis erit Platonem commemorasse, qui summam civitatum salutem in educatione ac disciplina atque in eo ponit, ut ordinum hominum quisque suum agat officium. Quorum ordinum inter se rationes ex eo loco intelliguntur, ubi ex innato iis auro vel argento vel aere mores eorum atque officia definit; ex quo apparet, hic etiam plurima ad singulorum ordinum jura redire, atque iis, quibus sapientiae munus assignatum est, paternam magis quam civilem credi potestatem. E civitatum autem formis, quae iis cognitae erant, sapientissimi antiquorum omnes, Plato, Xenophon, Aristoteles, mixtam aliquam, qualis erat Spartanorum, ceteris praeferunt. Eidem generi Romanorum quoque respublica jure adnumeratur. Hae civitates quum sentirent, opus esse magistratu aliquo, qui universae plebis personam suscipiat ejusque jura tueatur, Spartani ephoros, Romani tribunos plebis instituerunt. Verum enim vero in utrisque maxime cernitur vitium, quo omnes laborabant respublicae antiquae. Nam ephori tyrannidem durissimam non in populum solummodo, sed in ipsos reges exercuerunt, tribuni autem

quod et quantum seditionum infelicissima causa fuerint, nemo est, qui
 agnoscere possit. In veterum mentione diutius commemoratus sum ideo, quod in con-
 suetudinem abut horum instituta civilia tamquam exemplaria ad imitandum
 proponere. Longum, neque huius loci esset ea enarrare, quae in recen-
 tiarum populorum, praesertim Germanicae stirpis, historia inveniuntur op-
 timae illius, quam significavi, reipublicae initia et incrementa. Consum-
 matam huius imaginem superius demum vidit saeculum. Nam ordinum,
 qui appellantur, apud Germanicos populos institutio, quamquam antiquorum
 rationi, ut mihi quidem videtur, praeferenda, nimium tamen singulis homi-
 nibus eorumque privatis commodis videtur tribuere. In ea autem, quam
 praedicavi, republica, non singulorum voces audiuntur, de suis juribus at-
 que potestate postulantium, sed vox populi, qui nihil aliud, quam rex, velle
 potest. Regem enim esse, qui in populi, tyrannum qui in privatam suam
 utilitatem omnia consilia sua dirigit, inter omnes constat. Regis igitur
 maxime interest, ut cum populo agat, non cum singulis; nam ut singulo-
 rum hominum utilitati suam postponat, hoc ridiculum foret postulare. Multi-
 tudo autem ipsa, quum ex singulis constet, vel nihil ab iis differt, vel iis etiam
 multo impotentior est, aliis aliorum desideriis repugnantibus. Instituenda igi-
 tur sunt concilia, quae neque singulorum neque ordinis alicujus, sed universi
 populi vice fungantur, ac simul cum rege in eum finem agant, ut iustitiae quam
 perfectissimum exemplar praebeat civitas. Quae concilia quomodo comparata
 esse, ac quo rati communi opus cum rege, atque sub ejus auspiciis efficere
 debeant, non huius loci est pluribus illustrare. Quamquam satis cognovi-
 mus, ita etiam haec comparari posse, ut, speciem quandam iusti prae se
 ferentia, colorem solummodo tyrannidi praebeant. Hoc modo iis abusus
 est et Gallorum tyrannus, et frater ejus iste, qui nihil se nisi stupidos satel-
 lites desiderare impudenter professus est. Mihi consilium nullum aliud

fuit, quam animis Vestris hoc proponere, aetatem nostram non modo non ob bella et pericula vituperandam, sed ob rerum publicarum rationes sapientissimo invento emendatas etiam summe praedicandam esse. Quod inventum ne ab his quidem, qui in negotiis unice versantur, eo nomine vituperari potest, quo saepissime sapientium commenta repudiare illi student, quod scilicet e mundo fictitio sint deprompta, et simulatque ad vitae quotidianae usum applicari debeant, nullius utilitatis esse convincantur. Nam hoc ipsa experientia docuit, et quod majus est, quomodo eo vel pervenerint populi, vel quibus erroribus simul cum libertate desiderata, eam quoque, qua frui erant, cum omnibus paene aliis vitae rectae bonis amiserint, exemplis nobis demonstravit.

Id igitur unum videtur relinqui, quod aliquis forsitan objiciat, stultum esse pro certis incerta quaerere, multaque ei populo et perpetranda et exantlanda esse, qui mutata reipublicae forma in meliorem vitae conditionem transire audeat. Audio, sed ad hoc velim attendatis, quae maxime continetur rara felicitas nostra, quod scilicet nihil mutamus, quam bona et praeclara omnia ab regis dilecti paterna manu expectamus. Deinde in eo quoque acquiescere possumus, quod, quum neminem alium deceat, nemini etiam melius procedere potest novarum legum institutio, quam regi benevolo et sapienti. Cujus sententiae, quamquam res ipsa eam persuadet, duo mihi adsunt testes, eo graviores, quod uterque in diverso genere summus est. Alter horum Plato, qui ex intima philosophia humanaeque naturae cognitione rerum civilium optimam conditionem hausit, plus uno loco instat, ut regi sapientiae praeceptis imbuta civitas optimis legibus committatur ordinanda. Alter, quem in hujusmodi materia laudans in suspensionem apud multos venire possis, est Machiavellus, homo, quicquid de moribus ejus judicetur, civili prudentia et experientia facile princeps. Hic quoque discrete confirmat, civitatis formam, quae omnium desideriis satis-

ferat, firmamque illam et duraturam, non nisi ab uno, id est a rege, con-
 sumi posse. *Explevisse mihi videor, Auditores, pro virum mearum tenuitate,*
ad quod sollicitus eram. Dum enim studeo, ne cohibeam orationem, ne
 nimis ampla spatia nimisque angustum argumentum excurrat, ideoque
 minus, quae Vestris omnium oculis subjecta sunt, subsiste, sponte mihi ori-
 tur imago civitatis, sub optimo principe, domi, aeque ac militia ad sum-
 mum felicitatis fastigium adsurgentis. Nam si ad bellorum historiam ani-
 mum advenimus, nusquam fere nobis obversantur nisi populi, vel diripien-
 di aliarum bonis et evertenda eorum libertate gloriam sibi atque poten-
 tiam quaerentes, vel in defendenda patria et libertate tuenda infelici for-
 titudine nobilitati. Nos ab adulatione tyranni intaminati certamine acer-
 timo cum gloria libertatem et fortunam recuperavimus. Hoc igitur bo-
 num, quod tam raro mortalibus contigit, post Deum optimum maximum
 curam potius acceptum referre debemus, quam Friderico Guilelmo, qui
 primum adversam fortunam tulit animo aequo atque dignitate numquam
 commota, deinde alacri et constanti virtute hostem terribilem aggressus
 est, postremo, quum hic victus jaceret, non securitate obdormivit, sed, no-
 vis viribus exortus, primus fuit ad novum certamen paratus! Si autem spe-
 ctamus republicae nostrae constitutionem, quid nobis contingere poterat
 iucundius, quid honorificentius eo dono, quod Fridericus Guilelmus nobis pro-
 misit nuperrime? Jam enim in eo est, ut pulcherrimus ille rerum ordo, qui alias
 non prodire solet nisi ex multis dissidiis atque aerumnis, apud nos per
 mutuam inter regem et subditos fidem atque amorem constitui debeat.
 Haec enim concordia, quae numquam a nobis abfuit, periculisque bellicis
 magis etiam firmata est, non concilianda nobis, sed tantummodo, uti de-
 cet in rebus ad civilem vitam pertinentibus, disertis verbis videtur conci-
 pienda esse legibusque sancienda. Quis est tam ingratus, tam a cura pa-

triae alienus, ut in hoc temporis momento non meminerit vocis illius vere regiae ac paene divinae, quam in illo discrimine princeps edidit dilectissimus: *Causa, quam ago, mihi cum populo meo communis est!* Quae nunc in altera quoque significatione videtur ad eventum esse perventura. Igitur, quum regi optimo gratissimum atque venerantem animum verbis testari nobis constitutum esset, nihil nobis regiae maiestatis verecundia capitis, magis poterat decorum videri, quam in civitatis et militibus et domesticis incrementis gloriam ejus ac virtutem considerare. Talem denique nostrarum rerum moderatorem, regem serenissimum, justissimum, clementissimum, cum principe regni herede atque universa domo augusta, populi que Borussiae gloriam atque salutem ut tervet Deus ter optimus maximus, pia mente ac religiosa precamur.